

Congregatio  
de Institutione Catholica  
(De Seminariis atque studiorum institutis)

**Notio  
Affiliationis  
theologicae**



**Conventio**



CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

**NOTIO AFFILIATIONIS THEOLOGICAE**

I. ORDINATIO CANONICA AFFILIATIONIS THEOLOGICAE

1. *Documenta eandem respicientia*

Affiliatio theologica *tribus* documentis regitur, quae sunt:

- a) « *Notio* affiliationis theologicae »;
- b) « *Conventio* » a duabus partibus ineunda;
- c) « *Normae servandae ad affiliationem exsequendam* ».

Tribus hisce documentis illustrantur ac definiuntur — ad affiliationem *theologicam* quod attinet — quae in art. 62 Constitutionis Apostolicae « *Sapientia Christiana* » et art. 47 « *Ordinationum* » eidem adnexarum de affiliatione edicta sunt, ratione simul habita *probatae praxis* hucusque in Theologicis Facultatibus de re inductae.

II. NOTIO ET PECULIARITATES AFFILIATIONIS THEOLOGICAE <sup>1</sup>

2. *Notio affiliationis theologicae*

a) Affiliatio theologica dici potest institutum iuridicum, quo *vinculum* inducitur inter aliquam Facultatem Sacrae Theologiae et quoddam Quadriennium Theologicum, ordinatum ad theologiam catholicam modo institutionali tradendam,<sup>2</sup> eo fine ut studiorum *qualitas* diligenter excolatur et studentes *academicum gradum primi cycli* Facultatis, seu *Baccalaureatum Sacrae Theologiae*, ab eadem assequi possint (art. 62 « *Sap. Chr.* »).

b) Prout hic delineatur, affiliatio theologica ad Quadriennium Theologicum attinet *in Seminariis* vel *in Religiosis studiorum Domibus* vicens, quod quidem studentibus ad sacerdotium adspirantibus destinatur. Pro *Laicis* peculiaris curricula theologica institui ac affiliari possunt, ipsorum statui ac praeparationi melius congruentia.<sup>3</sup>

c) Cum Facultatis affiliantis munus sit Quadriennio affiliato diligenter *assistendi* — ad studia theologica quod spectat — affiliatio communiter insti-

<sup>1</sup> Affiliatio omnino distinguenda est ab *Aggregatione* et ab *Incorporatione* quae utique maioris sunt momenti (cf. art. 48, § 1 et § 2 « *Ordinationum* »).

<sup>2</sup> Affiliatione minime afficitur regimen spirituale, disciplinare, oeconomicum etc. Instituti, in quo Quadriennium affiliatum vigeat.

<sup>3</sup> Pro *Laicis*, praeterea, iamdiu vident *Instituta Superiora Scientiarum Religiosarum* (cf. can. 821 CIC), quae ordinari possunt academice vel non-academice, prout illa desiderant ius assequi conferendi *specialem* gradum academicum vel titulum non-academicum.

tuenda est intra eandem nationem vel regionem culturalem (cf. art. 47 « Ordinationum »).

### 3. *Notio Quadriennii Theologici*

a) Obiectum proprium affiliationis theologiae sunt *disciplinae theologiae* curriculi studiorum *quadriennalis a can. 250 CIC praescripti* et a competenti Auctoritate Ecclesiastica approbati, quo conspectus theologiae modo *institutionali* studentibus praebetur.<sup>4</sup>

b) Studia theologica Quadriennii affiliati *in uno eodemque curriculo sexenali* simul cum studiis *philosophicis* ordinari possunt, cauto quidem ut philosophia systematica ante theologiam systematicam tradatur.

### 4. *Natura studiorum in Quadriennio affiliato*

a) Studia Quadriennii affiliati sunt equidem superiora, sed per affiliationem *ad condicionem academicam non evehuntur*. Non ideo ordinari possunt iuxta normas Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » adnexarumque « Ordinationum » (relate scilicet ad *primum* Facultatis cyclum).<sup>5</sup>

b) Nihilominus, cum haec studia quadriennalia gradu Baccalaureatus coronentur, *quaedam condiciones academicae* explendae sunt, ad illum assequendum necessariae (cf. art. 7 « Normarum servandarum »).

## III. A QUIBUSNAM AFFILIATIO ET GRADUS ACADEMICUS CONFERANTUR

### 5. *Concessio affiliationis*

a) Affiliatio conceditur peculiari *Decreto* Congregationis de Institutione Catholica (art. 62, § 1 « Sap. Chr. »), quae etiam formulas edicit tum specialis « *Conventionis* », a duabus partibus contrahentibus ineundae, tum quarumdam « *Normarum servandarum* », ad affiliationem exsequendam.

b) *Postulatio* vero praesentatur Congregationi a *Praeside* Facultatis affiliantis (vel a *Rectore* Universitatis, si Facultas in aliqua Universitate vigeat), *postquam* Consilium Academicum Facultatis, ope Delegati vel specialis Commissionis pro Affiliatione (cf. n. 7), statum scholarem Quadriennii Theologici diligenter exploraverit atque probaverit.

### 6. *Collatio et denominatio gradus*

a) Gradus Baccalaureatus Sacrae Theologiae confertur a *Facultate* affiliante, cuius ideo denominatio seu inscriptio (immo et Universitatis, si Facultas pars sit alicuius Universitatis) in gradus diplomate referenda est.

b) Gradus in Sacra Theologia collatus *idem est* ac qui in Facultate affiliante confertur *in fine primi cycli*. Denominatio canonica « Baccalaureatus » *alio vocabulo*, in praxi universitaria *civili* loci usitato, substitui potest, dummodo:

---

<sup>4</sup> Programma theologicum Quadriennii affiliati *nunquam* illud esse potest, quod habetur in primo Facultatis affiliantis cyclo; ipsum immo conformari debet « Rationi Institutionis Sacerdotalis » a competenti Auctoritate Ecclesiastica approbatae, aliisque Sanctae Sedis praescriptionibus.

<sup>5</sup> E contra, in Aggregatione et in Incorporatione Constitutio Apostolica « Sap. Chr. » plene applicatur.

— reapse Baccalaureatui canonico *aequivalet*, in primis ad amplitudinem studiorum quod attinet, et

— nullam *aequivocationem* gignat cum fortasse homonymo gradu *civili* loci, nec cum denominatione gradus *canonici secundi cycli*, seu Licentiae.

c) Denominatio *localis* Baccalaureatus — quae *eadem* esse debet pro omnibus Facultatibus Theologicis eiusdem nationis vel regionis culturalis (cf. art. 48 « Sap. Chr. ») — *approbatione* indiget Congregationis de Institutione Catholica.

#### IV. ITER AD AFFILIATIONEM OBTINENDAM AUT RENOVANDAM

##### 7. *Quadriennii affiliandi praevia perpensio et approbatio*

1° Facultas Theologica affilians, per suum Delegatum vel Commissionem pro Affiliatione, in primis accurate *exploret statum studiorum* Quadriennii Theologici affiliandi an praescriptis condicionibus satisfaciat.

2° Si exitus feliciter evaserit, *Facultas* (vel Universitas, si Facultas in aliqua Universitate vigeat) ad Congregationem de Institutione Catholica *mittat*:

a) *relationem* (una cum iudicio Consilii Facultatis) de explorato et probato statu *studiorum* Quadriennii Theologici; simul adiectis:

— integro studiorum theologicorum *programme*, in *singulos* Quadriennii annos distinctorum, additis *horis* pro unaquaque disciplina in universum requisitis;

— « *curriculis* vitae, studiorum et operum » *omnium* Docentium Quadriennii;

— numero *studentium*, in singulos quattuor annos distinctorum;

— nomine in loco *usitato*, quo Baccalaureatus canonicus fortasse reddendus sit;

b) *tria exemplaria* memoratarum « *Conventionis* » et « *Normarum servandarum* », ab Auctoritatibus tum Facultatis affiliantis (Praeside, vel Rectore Universitatis simul cum Decano Facultatis) tum Quadriennii affiliati (Ordinario Dioecetano vel Religioso) debite *subsignata* earumque *sigillis* munita.

##### 8. *Actio Congregationis de Institutione Catholica*

a) De more affiliatio *conceditur* ad quinquennium et ad experimentum; quo feliciter transacto, ad alterum quinquennium *renovatur*. Si deinde omnia probe evererint, affiliatio ad decennium conceditur, successive iterandum.

Affiliationes, quae interim « in perpetuum » seu « definitive » concessae sint, « ad decennium » concessae intelligantur. Huiusmodi ideo decennio transacto, Facultates Theologicae quarum interest decennalem renovationem affiliationis a Congregatione postulent.

b) Generatim ad affiliationem *renovandam*, documenta « *Conventionis* » et « *Normarum servandarum* » iteranda non sunt. Sufficiet congrua petitio Fa-

cultatis affiliantis (vel Universitatis), ampla *relatione* addita de exitu affiliationis interim obtento. Congregatio duplex exemplar *novi Decreti* renovationis ad Facultatem (vel Universitatem) mittet.

\* \* \*

*Nota historica*

Affiliatio *theologica* a. D. 1936 a S. Congregatione tunc « de Seminariis et studiorum Universitatibus » instituta est. Inde ab a. 1960 valde diffusa est, praesertim in Europa, Africa et Asia.

Praeterquam quod affiliatio habita semper est ut efficax subsidium ad studia *theologica* in Seminariis Religiosisque studiorum Domibus melius ordinanda ac promovenda, eius praecipuus finis est ut studentibus inibi degentibus, quibus inscriptio ad aliquam Facultatem *Theologicam* difficilis evadat, possibilitas praebeatur primum gradum academicum canonicum (seu *Baccalaureatum*) *Sacrae Theologiae* adipiscendi.

Post manatam Apostolicam Constitutionem « *Sapientia Christiana* » (15 Aprilis 1979), affiliatio *theologica* novis studiorum *theologicorum* conditionibus aptata est.

---

Nota Bene – Documenta « *Conventionis* » et « *Normarum servandarum* » in *triplici* exemplari *huic « Notioni » adnectuntur*. *Facultatis et Quadriennii Theologici* erit illa *rite implere*, prout in respectivis notis indicatur.

\* \* \*

(Romae, d. 1 m. Augusti a. D. 1985)



CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

CONVENTIO  
ad affiliandum

Quadriennium Theologicum <sup>1</sup> .....

Facultati Theologicae <sup>2</sup> .....

academicum gradum Baccalaureatus Sacrae Theologiae adipiscendi gratia.

\* \* \*

1. – Praesens Conventio initur a <sup>3</sup> .....

et a <sup>4</sup> .....

2. – Haec affiliatio regitur, praeterquam art. 62 Const. Apost. "Sapientia Christiana" et art. 47 "Ordinationum" eidem adnexarum, peculiaribus documentis a Congregatione de Institutione Catholica manatis, quibus tituli sunt: "Notio Affiliationis Theologicae" et "Normae servandae ad Affiliationem exsequendam".

3. – Utraque pars contrahens fidem facit se condiciones ac praescriptiones ad affiliationem obtinendam, exsequendam ac servandam — prout in duobus memoratis documentis enuntiantur — fideliter servaturam.

---

<sup>1</sup> Nomen Instituti, in quo Quadriennium vigeat, et locus.

<sup>2</sup> Nomen Facultatis (et Universitatis, in qua Facultas forte vigeat), et locus.

<sup>3</sup> Nomen Ordinarii Dioecesani vel Religiosi (saltem Provincialis), a quo Quadriennium affiliatum dependeat.

<sup>4</sup> Nomen Praesidis (si agatur de Facultate Theologica "sui iuris") vel Decani et Rectoris (si agatur de Facultate in aliqua Universitate sita).

4. - Peculiariter, Facultas Theologica affilians erga Sanctam Sedem spondet de iusta servanda studiorum theologicorum qualitate in Quadriennio Theologico affiliato, deque specialibus condicionibus explendis ad gradum primi cycli, seu Baccalaureatum, conferendum.

5. - Vicissim, Auctoritas Ecclesiastica a qua Quadriennium affiliatum pendet, se obstringit ad Docentes disciplinarum theologicarum — numero et praeparatione idoneos atque suo muneri principaliter et stabiliter addictos — diligenter Quadriennio semper providendos.

6. - Haec Conventio statim ad effectum adducitur, postquam a Congregatione de Institutione Catholica approbata fuerit. Poterit quidem revocari a Facultate affiliante post duas monitiones, quandocumque affiliatio contra praescriptiones a Sancta Sede manatas vel contra Facultatis auctoritatem cedere constiterit.

7. - (Aliae clausulae, quas partes contrahentes mutuo consensu addere voluerint) .....

.....

Datum <sup>5</sup> .....

.....

Subsignationes et sigilla partium contrahentium:

<sup>6</sup> .....

.....

<sup>7</sup> .....

.....

---

<sup>5</sup> Locus, dies, mensis et annus.

<sup>6</sup> Ordinarii Dioecesiani vel Religiosi.

<sup>7</sup> Praesidis vel Decani (cum Universitatis Rectore, si adsit).

---

**CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)**

Prot. num.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis,